

Jakob Christoph Wolff


**Rector Academiae Varniacae M. Jac. Christoph. Wolffius ... Memoriam Foeminae Prænobilissimæ, Omnique Virtutum Insignium Decore Fulgidissimæ, Nunc Beatissimæ, Dominæ Agnesæ Dörcksen, Viri Summe Reverendi ... Dn. Franc. Alberti Æpini, Phil. Et S. S. Theol. Doct. ... Cum Exuvia Ipsius d. 14. Febr. anno MDCCXXXVI. terræ mandarentur, Civibus Academicis ... colendam sancteque custodiendam Publico Hoc Programmate commendat**

Rostochii: Typis Joh. Jac. Adleri, [1736]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793525420>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Proboten Proboten-Programme, meist  
Fotografien in Proboten Längsweisen Familien bzw.  
Größen Heile und dem nächsten Jafafündert.  
Originalstift geworden.

Litr. A — H.

Im Juni 1859 und dem Neufuß des Graf. Hofwart Piper  
zu Güstrow erworben.

(Zinn und die Familien v. Klein, v. Kravitz u. a.)

82 Stücke

Mklb Gen

2/3I-40



Revis.  
1833.

F. A. Aepinus, + 1758.

A. Ahrend, + 1730.

Anna Kohl, n. Ampel, + 1709.

Cath. Ampel, vid. Kleinpi, + 1725.

Magd. Brand, ux. O. P. Möleri, + 1733.

J. H. Balke, + 1778.

J. H. Becker, + 1774.

P. Becker, + 1753.

J. J. Bentzen, + 1725.

Cath. Marg. Besselin, vid. Jac. Burgmann, + 1731.

Just. Reg. Besselin et Ann. U. Hever, vid.

Ch. M. Hever, Roff, + 1742.

V. J. Besselin, + 1755.

Cath. Bloeksdorff, vid. Viet. Puffen,

+ 1715.

Cath. Burchard, n. Bourgund, + 1740.

Ch. M. Burchard, + 1742.

Jac. Burgmann, + 1724.

J. H. Burgmann, + 1746.

J. P. Burgmann, + 1775.

J. Carmon, + 1743.

J. H. Carstens, + 1731.

J. F. Celle, + 1729.

P. Ciese, + 1746.

Ann. Cath. Coeh, + 1726.

G. Crause, + 1723.

Ch. Crule, + 1748.

J. F. Crull, + 1757.

J. A. Curtius, + 1740.

J. Ch. Dancwarth, + 1755.

Anna Decker, conj. Meinauni, + 1739.

G. Deharding, + 1747.

Georg. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.

Ag. Doercks, conj. F. A. Aepini, + 1736.

Ch. Doercks, marim. Nettelblatt, + 1753.

Marg. Doercks, marim. Lief, + 1755.

J. A. Duve, + 1728.

Ann. Soph. Eggerdes, ux. G. Ch. Handwigen,

+ 1743.

Matth. Joh. Eggerdes, + 1718.

Matth. Hinr. Eggerdes, + 1722.

J. L. Engel, + 1758.

H. A. Engelen, + 1734.

H. Ch. Engelen, + 1742.

J. F. Eyllers, + 1749.

Chr. Ed. Forster, vid. Ch. R. Holten, + 1734.

Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrandt,

+ 1742.

Hel. de Klein, nat. Gerdjen, + 1730.

P. Gerling, + 1778.

H. Goltermann, + 1733.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.

Alb. Kleins, + 1733.

Matth. Ben. Hering, + 1750.

G. Herkepäus, + 1745.

Cath. Mar. Eyler, geb. Kitten, + 1756.

Ann. Soph. Kolsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.

El. Kopp, norm. Crull, + 1766.

Ann. Hedro. Korn, conj. V. J. Bepelin, + 1730.

El. J. Jörck, + 1728.

Joh. Joach. Jörck, + 1729.

P. Chr. Kämpfer, + 1755.

Joh. de Klein, + 1732.

Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Bepelin,  
+ 1726.

Ann. Marg. Knefbeck, conj. H. Golden-  
mann, + 1738.

A. L. Knefbeck, norm. Hoppen, + 1747.

D. H. Koepcken, + 1731.

G. W. Koepcken, + 1732.

F. E. Kohl, + 1738.

Anna Kortholt, vid. J. Lindemanni,  
+ 1743.

A. J. v. Krackevitz, + 1732.

J. Krauel, + 1750.

RECTOR

ACADEMIÆ VARNIACÆ

M. JAC. CHRISTOPH. WOLFFIUS,

Gr. Lingu. Prof. Publ. Ord. & FCtatis suæ p. t. DECANUS,

MEMORIAM

F O E M I N Æ

PRÆNOBILISSIMÆ, OMNIQUE VIRTU-  
TUM INSIGNIUM DECORE FUL-

GIDISSIMÆ,

NUNC BEATISSIMÆ,

DOMINÆ AGNESÆ

DÖRCKSEN,

VIRI SUMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI  
ATQUE AMPLISSIMI,

DN. FRANC. ALBERTI

ÆPINI,

PHIL. ET S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE

PROF. DUC. ORD. PUBL. UNDEQUAQUE

FAMIGERATISSIMI,

SERENISS. DUCIS REGNANTIS MECKLENBURGICI CONSI-

LIARII CONSISTORIALIS GRAVISSIMI,

CONJUGIS DILECTISSIMÆ,

NUNC EHEU!

DESIDERATISSIMÆ,

Cum Exuviæ Ipsius d. 14. Febr. anno MDCCXXXVI.

terræ mandarentur,

CIVIBUS ACADEMICIS O. O. HONORATISSIMIS


colendam sancteque custodiendam

PUBLICO HOC PROGRAMMATE

commendat.

R O S T O C H I I,

Typis JOH. JAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



A. 1794 Ω.



Tane, *Cives O. O. Honoratissimi*, inter Vos iterum est prædicanda mors? itane denuo tristi defungendum mihi est officio? itane Vobis exponere debeo dolores eorum, qui nobis sunt conjunctissimi? Binis equidem vicibus, durante meo Rectoratu, lugubri dicendi genere Vosmet compellare, non sine animi ægritudine coactus sum, at longè majori animi tristitia hodierno die mihi jam reassumendus venit calamus, neque id sine ratione. In præcedentibus enim duarum Personarum inter nos Honoratissimarum obitum beatum Vobis indicare debui, earumque memoriam in benedictione asservare studui, quibus ultimo ætatis affectis ipsum vitæ terminum homini in S. litteris præfixum per DEI gratiam attingere licuit, quarum utraque relictis neque viduis neque liberis diem suum obiit supremum, adeoque nec morte suâ tantum attulit dolorem, quantum quidem in ejusmodi tristissimo facto conjunctissimis amicis sentiendum esse, quotidiana testatur experientia, Neutra denique earum mihi hæc scribenti propinquiori fuit conjuncta necessitudine, licet nihilominus multo animi affectu easdem memet semper prosecutum esse, confitendum omninò mihi sit. Jam verò *Fæminam genuina pietate morumque integritate laudatissimis modis Celebratissimam* in optimo ætatis flore, præmatura decessisse morte video, *Mœstissimum Maritum* ex tristi visu, quod Ea, quam velut dulcissimam cordis sui partem complexus fuerat, ex amplexibus ipsius excesserit, obstupuisse percipio, *Liberos, gratissima conjugii pignora*, ob mortem *Genitricis suæ Amantissimæ* nimis properatam, mœrore

mœrore fermè oppressos sentio, Fratres, Sorores aliosque Cognatos tristissimo animi affectu calentem favillam Sororis Cognatæque Charissimæ lacrymis spargentes oculis meis conspicio, & quid denique de me ipso afferam? Prouti semper maximopere mihi gratulatus fui, quod cum *B. Defunctâ* unum eundemque Avum maternum venerari, adeoque proximo consanguinitatis vinculo Ipsi junctum esse mihi licuerit; ita sane inopinato Amitinæ meæ *Æstumatissimæ* obitu haud vulgariter me contristatum esse publice profiteor. Ne miremini igitur, *Cives Optimi*; quod statim à scriptionis hujus initio, longè majorem memet hodie incessisse mœrorem, asseruerim, præsertim, cum pro officii mei ratione ultimum honoris officium Beatæ Nostræ jam præstare teneam. Certè verba Imperatoris Romanorum Neronis, antequam degenerasset in tyrannum; præfecto suo Bruto, aliquando, ut sententiis damnatoriis subscriberet demissè petenti respondentis: *quam, Brute, vellem nescire litteras*; quæque olim *Vir de Academia nostrâ optimè meritus, Prænobiliss. Consultiss. ac Excellentiss. DN. STEIN, Jctus & Antecessor Celeberrimus, Affinis meus Colendisissimus*, in Programmate Rectorali *B. Defunctæ Dn. Parenti* t. t. scripto, haud immerito sua fecit, ut & ego impræsentiarum repetam, non abs re fore judico. Etenim dum Fœminæ, quæ virtutibus insigniter prædita omnibus civitatis nostræ popularibus cognita, quæque arctissimo consanguinitatis vinculo conjunctissima mihi fuit, parentandum abs me sit, quid aliud mihi itidem optarem, quam ut iisdem Neronis verbis uti mihi liceat: *quam, Amici, vellem nescire litteras*; eo enim ipso hoc labore satis doloroso supersedere possem. Verum enim vero, cum pietas erga *Defunctam*, propensissimus erga Mœstissimum Viduum, quem ut Præceptorem quondam meum fidelissimum veneror, & ad bustum usque veneraturus sum, affectus, integerrimusque amor superstiti Familiæ afflictæ debitus aliud exigant, quæque Supremus vitæ mortisque Dominus pro beneplacito suo decrevit, mutari nequeant nec debeant, sed patientes nosmet perferre oporteat, ultimo huic officio memet subtrahere omninò nefas duco, hocce solum expetens, ut, si fortassis *Beatæ Nostræ* virtutes nec pro merito nec justo proferantur ordine, id dolori atque luctui mihi cum omnibus Bonis communi imputetur unicè.

Quo igitur Memoria *Prænobilissimæ, omnique virtutum muliebrum jubare Splendidissimæ DN. AGNESÆ DÖRCKSEN*, asservetur salva, sancta atque incorrupta, rudi quidem penicillo vitæ omnem partem laudabilissimæ curriculum describam, abque ipso Ejus initio initium quoque faciam.

Progenita igitur est *Beata Nostra Güstrovii*, ob Sedem Ducalem quondam celeberrimi, anno reparatæ Salutis MDCXXCVII. d. VI. Novembris, horam quintam inter & sextam matutinam, & proximè subsequenti die S. S. baptismatis lavacro regenita cœtui fidelium adscripta fuit.

Patrem exosculata est *Virum quondam Prænobilissimum Excellentissimum atque Amplissimum DN. DANIELEM DÖRCKS, Sereniss. Ducis Mecklenburg. FRIDERICI WILHELMI, gl. M. Camera Consiliarium Gravissimum, Virum maxima in Principem suum fide munerisque dignitate*



tate perquam Conspicuum, Matrem vero Prænobilissimam, sanctiorisque fidei, & virtutum insignium, ut B. nostro Weidnero summo jure audit, æmulam DN. MARGARETHAM SCHUCKMANNEN.

Avum lineæ Paternæ nacta fuit B. Defuncta, Nobilissimum, Amplissimum ac Prudentissimum DN. JACOBUM DÖRCKS, Senatorem dictæ civitatis Güstroviensis Meritissimum, Aviamque Fæminam Nobilissimam, omnique virtutum genere exornatissimam, DOROTHEAM **RECHBEN**.

Proavus Paternus primæ lineæ Ipsi exstitit Vir Spectatissimus atque Integerrimus DN. ULRICUS DÖRCKS, Civis inter Güstrovienses primarius, ipsiusque Conjux, Nostræque Proavia sui sexus virtutum splendore insignis atque Nobilissima CATHARINA **SCHURZEN**.

Proavus paternus lineæ secundæ fuit Vir Nobilissimus, Ampliss. ac Prudentissimus DN. JOHANNES TREBBOW, Güstroviensium per septem & quod excurrit lustra Senator optimè meritis, Proavia vero ejusdem lineæ Fæmina Honestissima ILSABE **RÜHMEN**.

Abavus Patriæ stirpis lineæ primæ Beata contigit Vir fidei spectata ac integerrima, DN. HANS DÖRCKS, Civis itidem Güstroviensis Primarius, ex non ignobili Ducatus Juliænsis oppido Novesia oriundus, quique ob nimiam crudelitatem famosissimi istius Ducis Albani, ferro flammaque Protestantes quorsumcunque persequentis, patrium vertere solum coactus Güstrovium sese recepit, ibidemque sedem suam fixit, ducta in conjugem Fæmina pietate cæterisque virtutibus muliebribus maxime conspicua, ANNA **WURM JERENSHOFFS**, Beata Nostræ Abavia.

Abavum ejusdem stirpis Patriæ lineæ secundæ habuit Virum Nobilissimum ac Spectatissimum DN. JOHANNEM TREBBOW, primò in præfectura Svanensi, ad Dominalia pertinente, Ducalis culinæ Præfectum, postea civitatis jam sæpius nominatæ Senatorem Dexterrimum, cui in matrimonio juncta fuit Matriona Pientissima, Beata Abavia MARGARETHA **RECHBENOWEN**, ex Nobilissima Klevenoviorum Familia Güstrovii tum florente oriunda.

Sed deveniendum nobis quoque est ad lineam Defunctæ maternam, inque ea salutavit Beata Avum Virum Summè Rever. Religiosiss. ac Excellentissimum DN. HERMANNUM SCHUCKMANNUM, S. S. Th. Doct. & per XVI. annos Almæ nostræ Profess. Publ. Ordin. & Consistorii Ducal. Assessorem longè Gravissimum, abhinc Sereniss. Principis ac DN. GUSTAVI ADOLPHI, Ducis Regnantis Megapol. gl. Record. Concionatorem aulicum primarium ac Confessionarium, Consilii itidem ecclesiastici Güstroviensis Præsidem Meritissimum, ac Parochiarum in districtu Güstroviensi Superattendentem vigilantissimum; Aviam vero Matronam laudatissimam, ac singulari sua comitate & humanitate omnibus commendatissimam DN. MARGARETHAM LEMBKEN.

Proavum maternum in superiori linea Ipsi dederat divina providentia Virum Prænobilissimum, Consultissimum ac Excellentissimum DN. HENRICUM SCHUCKMANNUM, U. J. Doct. & in hac Academia Antecessorem longè Celeberrimum, FCtatis Jurid. Senioremaximè Venerandum, Consistorii Ducal. Consiliarium Excellentissimum, Dicasterii Provincialis Assessorem dignissimum, & Sereniss. Ducis JOHANNIS ALBERTI II.

gl. M.

gl. M. *Consiliarium intimum; Proaviam autem Nobilissimam omnibusque Jexus sui virtutibus condecoratissimam* DN. ANNAM STECHOVIAM.

*Proavum in linea inferiori accepit Virum Prænobilissimum, Prudentissimum ac Amplissimum* DN. JACOBUM LEMBKEN, *Senatorem & Camerarium Rostochiensem Dexterrimum, Proaviamque fæminam virtutibus & prosapia Præcellentissimam* ANNAM **HUBERMANNS.**

*Abavus primus stemmatis materni in linea superiori Ipsi contigit Vir Nobilissimus ac Amplissimus* DN. HERMANNUS SCHUCKMANNUS, *Civis ac Mercator Osnabrugensis primarius; Abaviaque Fæmina insignium virtutum ac in re familiari & domestica Cultissima* DN. ANNA FLÖRKEN.

*Abavus primus lineæ inferioris Ipsi fuit Nobilissimus ac Spectatissimus* DN. ALBERTUS STECHOVIUS, *Civis heic Rostochii Primarius, ædisque Paulo-Petrinæ Præfectus redituum sincerissimus, ejusdemque lineæ Abavia cluit Prænobilissima* DN. AGNETA PEGELIA, *ex illustri & de Academia nostra Meritissimorum Pegeliorum familia orta.*

*Abavus secundus stirpis maternæ extitit Vir Prænobiliss. Ampliss. ac Prudentiss.* DN. HERMANNUS LEMBKEN, *Senator Rostochiensis maxime conspicuus, Abaviaque Fæmina singulari comitate ac humanitate præpollens* DN. MARGARETHA BIERMANNIA.

*Atavus denique in eadem linea materna Ipsi fuit concessus Vir Prænobilissimus, Consultissimus Excellentissimusque* DN. JACOBUS LEMBKE, *Patriæ nostræ Dulcissimæ Consul primarius, Ataviaque ex perantiqua ac inter Nos Celebratissima Beseliniorum familia oriunda, Domina* THALIA BESELINIA.

Ex hisce igitur Majoribus de Ecclesia Reque publica optimè meritis prognatam esse, gloriari potuit *Nostra placide Defuncta*, cumque iidem Ipsius majores haud fucatae pietatis semper exstiterunt cultores, ejusdemque laudem atque famam meritò exinde reportarunt, ita & Parentes sui Charissimi unicam in id impenderunt curam, ut filiolarum hanc, in ordine Sororum quartam, à teneris statim annis verâ pietate imbuerent, & succrescente ætate in pura fidei ac morum doctrina ritè instituerent, eidemque ad virtutes quaslibet sectandas exemplo suo prælucere, uti nec minori allaborarunt sollicitudine, ut omnibus iis, quibus ad rei familiari aliquando rectè consulendum idonea ac apta redderetur, probè adveseretur, quæque eorum cura ac sollicitudo adeò non fuit frustranea, ut potius *Beata Nostra* Parentum suorum spem de se conceptam omni ex parte impleverit. Postquam enim anno MDCCIII. unâ cum B. Suo Parente, qui à *Serenissimo Duce FRIDERICO WILHELMO*, justitiæ ac Camerae Collegiis Gustavo hic translatus, domicilium mutare & Rostochium sese conferre clementissimè jussus, civitatem hanc ingressa fuit, inque eâ etiam post mortem Parentis anno MDCCVII. non sine ingenti animi mœrore decedentis, unâ cum Matre sua Svavissima permansit, vitam virgini modestæ atque castæ omni modo convenientem inter nos degit, quâ de re, cum ad testimonium universæ civitatis tutò provocare queamus,

B

plura

plura ut adjiciamus verba, superfluum planè ac supervacaneum arbitramur, sufficit, quod in vita sua puellari tam svaes sparserit virtutum odores, ut *Vir de universa Christi ecclesia & Academia nostra immortaliter meritis*, Summè Rever. Excellentiss. Amplissimusque DN. FRANCISCUS ALBERTUS ÆPINUS, Philosoph. & S. S. Theol. Doct. ejusdemque Professor Ordin. Celebratissimus, Consistorii Ducal. Consiliarius Gravisimus, Fautor, Collega ac Affinis noster multis nominibus maximè colendus, Viduus prohdolor jam mæstissimus, iisdem allectus, Eam in matrimonium ducendam decenti modo ambierit non tantum, sed & exambierit, ita ut anno MDCCXV. benevolè consentiente Matre, die XXII. Maji solenni ritu Ipsi fuerit desponsata, & sequenti die XXII. Septembris ejusdem anni mediante benedictione sacerdotali Viri Summè Rever. Excellentiss. atque Amplissimi Dni. Professoris & h. t. totius Accdemix Senioris PETRI BECKERI nuptum data, àque Ipso domum ducta fuerit. Quam sva-ve vero, concors, omnique ex parte beatum hocce fuerit conjugium, omnibus, quibus conversationem horum Conjugum gratissimam propius observare datum fuit, per se patet, unde &, cum ipsa Vidui, memoriam suavissimi hujus consortii ad ultimum usque vitæ halitum pia mente recolentis modestia id ipsum silentii peplo potius involvi, quam multis verborum lenociniis deprædicari cupiat, desiderio Ipsius satisfacere studentes, hujus rei nihil quicquam addimus, præter id, quod in honorem Domini reticendum minime est, matrimonium hoc divina favente gratia neutiquam improle existisse. *Beata enim Nostra* durante suo matrimonio quinque liberos, duos scilicet Filios, Filiasque tres Marito suo Charissimo feliciter peperit. Bigam Filiorum quod attinet, quique per DEI gratiam in solatium Dn. Parentis haud exiguum superstites adhuc nimis maturam Matris suæ Dulcissimæ mortem ardentissimis deplorant lacrymis, horum primus ac fratrem inter & sorores secundo genitus est Vir Juvenis, Nobilissimus, Præstantissimus ac Præclarissimus DN. ANGELIUS JOHANNES DANIEL, Philos. & Theol. Studiosus solertissimus, alter vero eximix spei juvenis FRANCISCUS UDALRICUS THEODOSIUS, bonarum literarum Cultor indefessus. Primum inter Filias locum obtinuit, omnium liberorum primogenita, MARGARETHA AGNESA FRANCISCA, sed proh! obtinuit, posteaquam enim anno MDCCXVI. d. XII. Julii in hanc lucem, non sine magno Parentum gaudio edita fuit, d. XVII. Januarii anni subsequenti MDCCXVII. adeoque semestri vix emenso, ad cælestia evocata, maximumque sui desiderium relinquens, è vivis iterum decessit. Altera in ordine, Eaque itidem adhuc superstes, faxit DEUS, quam diutissime! est prænobilissima, lectissimaque Virgo FRANCISCA AGNESA BEATA, maximum ex obitu Genitricis suæ Optimæ præmaturo persentiscens dolorem. Tertia Denique fuit CAROLINA MAGDALENA BENEDICTA, quæ à primis fermè incunabulis variis corporis infirmitatibus obnoxia quinto demum ætatis anno à miseria hujus vitæ liberata in æternam requiem, DEO clementissimè sic dirigente, transiit. Quemadmodum jam *Beata Nostra* quinque liberis donata existit mater, ita quoque omnes animi corporisque vires eò intendit, ut pignora hæc à DEO sibi gratiosissimè concessa in honorem summi

summi Numinis rectè educaret, veramque imprimis erga Ipsum pietatem, integerrimumque virtutum amorem animis ipsorum ingeneraret, cumque huic plantationi atque irrigationi largissimam hactenus impertitus est benedictionem Altissimus DEus, ita & eundem preces suas ardentissimas pro salute Ipsorum temporali ac æterna suas clementissimè exauditurum, iisdemque immensa Spiritus sui gratia in omnibus conatibus adstiturum esse nulli dubitamus, imò ex intimis cordis penetralibus eum precamur, ut Trigam hanc ex pietissimo stemmate natam, omnipotenti suæ curæ ac sollicitudini Paternæ semper habeat commendatissimam, quo providam hanc Matris suæ curam filiali animi observantia, gratissimaque agnoscens mente, succrescat in divini sui Nominis gloriam, Ecclesiæ ac Reipublicæ ornamentum, Venerandi Dni Parentis solatium, propriumque tandem commodum & emolumentum, adeoque exactissima Matris Pietissimæ ac Virtuosissimæ in ea aliquando reviviscat imago. Ita enim *Defunctam* nostram pietati semper deditissimam fuisse per omne vitæ suæ spatium, integra Ipsius testatur vita, quamvis enim, ne suspecti adulationis videamur, hujus rei Judicium aliis quam libentissimè committere velimus, certè tamen in perpetuum laudis Ipsius monumentum, salvâ veritate de Eadem profitendum nobis est, quod de festanda pietate haud fucata omni tempore unicè fermè fuerit sollicita, hincque DEum Patrem misericordiarum nunquam non indefessis fatigaverit precibus, velit ex immensa sua gratia omnium actionum ducem atque hodegetam Spiritum suum Sanctum sibi concedere quam clementissime, quo sub ejus manuductione omnem suam instituat vitam præceptis atque legibus divinis omnè ex parte conformem, insimul quoque imbecillitatis humanæ sibi Ipsi satis conscia, maximam semet agnovit peccatricem, unicumque contra peccata remedium in æterna DEI gratia, ac Salvatoris Nostri J. C. merito longè sufficientissimo vera fide sibi applicato quærendum esse rectè judicavit. Quæ cum Ipsi sederit mens DEO unicè dicata, omnem quoque carnis petulantiam, in quantum per infirmitatem naturæ potuit, quovis modo effugere studuit, deque vanitate hujus mundi ut & voluptate ultimis his temporibus nimium proh! invalescente sæpius conquesta fuit, ac, ne istis implicetur, seram adhibuit cautionem. Interim sese nullo modo morosam, sed potius omnibus ac singulis civilissimam officiosissimamque præbuit, dataque occasione humanis societatibus, honoris vel amicitiaæ ergo, præsentiam suam requirentibus, interfuit, iisdemque nunquam se subtraxit, etiamsi semet nunquam magis contentam esse, quam si domi & cum suis esse Ipsa liceret, haud inficiata fuit, inque domo sua, posthabito omni otio, negotiis suis semper incubuit, ac, ut brevis sim, ex omni ejus conversatione, in quantum mentis humanæ judicium hic valet, quam firmissimè colligere possumus, animam DEO deditissimam ad ultimum usque vitæ halitum inhabitasse corpus suum, variis alias morborum generibus expositum iisdemque quam maximè debilitatum. Constat etenim, ut denique & lethiferi Ipsius morbi, eumque insequentis placidæ beatæque mortis aliquam hic faciamus mentionem, *Beatam* durante suo matrimonio duplici vice difficillimum ægerrimumque habuisse partum,

tum; præter imbecillitates istas corporis gravissimas, quibuscum per multorum annorum seriem conflictandum ipsi fuit, donec Summa Numinis benevolentia, debitis eapropter evehenda laudibus, Eam & ab hocce malo, anno hujus seculi trigesimo primo benignissimè liberavit, àque omni morbo præstitit immunem, exceptis capitis doloribus ipsam interdum gravius affligentibus, & feбри quadam catarrhali per DEI tamen gratiam citò transeunte. Quæ cum ipsi fuerit constitutio corporis satis infirma, colligi exinde facili negotio potest, Eandem vitæ hujus pertæsam, miseræ suæ finem, si DEO ita placuerit, sæpius optasse, imò cum Paulo dissolvi & cum Christo esse cupiisse, adeoque nec imparatam à morte fuisse correptam, præsertim cum & hujus sui desiderii indicia ediderit sat probabilia, quæque optimum perhibent testimonium, quod neque vitam longævam sibi promiserit unquam, neque à morte semet longius abesse crediderit, ita scilicet omni tempore, quo Maritus de rebus post mortem suam beatam à se observandis cum Ipsa collocutus est, responsum ipsi dedit: **GOTT würde Sie behüten solchen Fall nicht zu erleben, weil er Ihr zu ertragen zu schwehr seyn möchte;** quinimò haud ita pridem expressis declaravit verbis, se morte ipsum anticipaturam fore, hinc, ut liberis hæc injungeret, rogavit. Et ecce! voti sui compos facta est, spesque Eam minimè fefellit. Die enim XIX. mensis præterlapsi Januarii, horam inter decimam & undecimam vespertinam de horrore febrili conquesta est, metuens, ne febris catarrhalis ipsi de novo immineret, & quantumvis subsequenti mane è lecto quidem surrexit, tamen statim à meridie eidem sese tradere coacta fuit, morbum licet minimi momenti reputans. At enim vero, cum morbum absque ullâ intermissione ingravescere, omnesque insimul corporis vires prostratas esse observatum fuit, *Generosissimus Dn. Consiliarius Aulicus de SCHAPER*, cui nimirum constitutio ejus à multis retrò annis optimè fuit perspecta, in consilium vocatus est, quique nihil planè intermisit, quo *febrim hanc Catarrhalem malignam cum insigni virium prostratione* (hoc enim nomine morbum hunc à supra laudato Dn. Schapero insignitum fuisse accepimus) generosissimis depelleret remediis, omnemque navavit operam, ut pristinae sanitati restitueretur *Beata nostra*, quam Ipsius curam ac sollicitudinem gratissima agnoscit mente, omnibusque deprædicat laudibus Familia superstes. At eventus proh! edocuit, omnem impensam operam fuisse frustraneam, unde & adstantes, cum probè perspicerent, remedia adhibita suo defraudari effectu, primariam animæ curam ulterius differre vel negligere religioni sibi ducentes, *Beatæ Confessionarium, Virum Maxime Rever. Religiosiss. atque Excellentissimum DN. PETRUM BECKERUM, Mathem. Profess. in hac Alma Famigeratissimum, totius Academiæ, Collegii Dnn. Professorum Senatoriorum, & Facultatis Philosoph. Seniore Summè Venerandum, ad templum D. Jacobi Pastorem Primarium ac Rev. Ministerii Directorem Gravissimum, Dn. Fautorem ac Collegam nostram Colendisimum* advocari curarunt, qui decenti huic petito facile deferens, die XXVII. Januarii eandem invisit, variisque piis ac devotis statui ipsius accommodatis sermonibus animam Ejus ita retexit, ut æquo ac tranquillo animo di-

vinæ

vinæ sese penitus committeret providentiæ, cumque nocte insequente vis morbi valde ingravesceret, altero statim die, circa horam circiter decimam matutinam *Beatam nostram* revisit, eandemque sorte sua contentam atque voluntati divinæ sese unice permittentem agnosceus, Sacra Synaxi, ceu maximè salutari viatico refocillavit, & benedictione sua impertita, manibus Altissimi ac Omnipotentis DEI de meliori commendavit. His peractis, Maritus Liberique ut accederent, efflagitans, unicuique Eorum singulatim animo maximè quieto & constanti ultimum Vale dixit, liberosque seriò iterum admonens divinam ipsis apprecata est gratiam. Cumque Maritus post aliquod temporis intervallum eam allocutus, rogaret, ut coram throno Majestatis cœlestis sui suorumque memor esset, summa animi lætitia respondit: *Jeh habe Sie Gott und seiner Gnade empfohlen, der wird mit ihnen seyn, wann sie Jhn fürchten.* De cœtero omne, quod Ipsi reliquum fuit, tempus indefessis precibus ac Nominis divini imploratione consumpsit, ita ut semet ipsam satis conforrans circumstantium excitationibus opus planè non habuerit, sed beatæ analyseos desiderium sufficienter contestata fuerit. Noctē semet intendente quieti sese tradidit, nil nisi voces quasdam inarticulatas proferens, sequenti vero die solis, qui & emortalis ipsi fuit, hora circiter octava matutina Marito ex Ipsa quærenti: *Ob Sie GOTT im Herzen hätte?* clara & distincta respondit voce: *Ja;* & paulo ante excessum ex hac vitâ in hæc prorupit verba: *Nun wird es bald besser werden;* imò cum adstantes Ipsi acclamarent: *HERR JESU, dir leb ich, dir sterb ich,* &c. oculos iterum aperuit, & tandem haud multo post horam IX. inter adstantium lacrymas, suspiria ac vota, viribus animi incorruptis existentibus, animam suam in Redemptoris manus fidelissimas reddidit, postquam in hac vitæ miseria summâ cum laude XLVIII. annos, menses II. & dies XXIII. vixerit.

Et hæc de *Beata nostra* felicissimo ingressu, pientissimo progressu & beatissimo denique egressu impræsentiarum dicta sunt. Gratulamur Ipsi meritò de beata hac ac placidâ analysi, nullus enim nunc corpus ejus excruciat morbus, nullos nunc sentit dolores, nullis amplius affligitur miseriis, quibuscum colluctandum Ipsi in hac vitâ fuerat, æterno jam fruitur gaudio, felicitate utitur summa. Dolemus modo fata Summè Reverendi DN. ÆPINI ejusque *LIBERORUM* duriora. Quis nescit in unam coalescere carnem pios conjuges? Jam, quæso, carnem disseca, & jube, ne sanguis effluat, dissectam vide carnem conjugalem & veta lacrymas: naturam rerum perdet, ista qui introduci posse existimat. Ipse DEUS nunquam nisi mysterii causa dolores super defunctis prohibuit, cœteris in casibus naturæ naturam suam concessit. Quid igitur mirum, si Maritus suæ conjugis amantissimus eam fleat abreptam, eam desideret acerbè, cujus morte à divina manu se contactum, inque fletus actum esse confitetur? & quid dicam de Liberis, Fratribus, Sororibus aliisque Cognatis, mortem hanc nimis maturam Matris suæ dulcissimæ, Sororis dilectissimæ & Consanguineæ charissimæ non abs re lacrymis


C

prose-


prosequentibus? Justissimæ omnino sunt eorum lacrymæ, ast ponderent, quæso, sicut in Christo didicerunt, arbitrii divini inexhaustam benignitatem, juxta quam vivere magna Christianismi pars est; DEUS, qui orphanorum & relictorum Patrem sese in S. literis dixit, gratia sua eosdem erigat, omniaque ipsis impofterum è voto cedere jubeat. Divino quoque solatio adfistat *Magno Nostro Viduo*, ut animum DEO sacrum recolligat, & illum respiciat, qui à teneris usque annis mirâ providentia Ipsum texit atque rexit, hincque, ut fiat Domini Voluntas, concedat. Protegat Ipsum Summum in cælis Numen, salutis suæ clypeo, avertat omnia tristia fata, & conservet Eum in Ecclesiæ Orthodoxæ fulcimentum, Academiæ nostræ ornamentum, Familiæque suæ Splendidissimæ emolumentum, in seros usque annos quam clementissimè. De cætero à nobis, *Cives O. O. Honoratissimi ac Humanissimi*, ipsum pietatis officium exigit, ut hujus *Justæ* semper vivamus memores. Percepimus, quanta diligentia quantave cura pietati bonisque moribus studuerit *B. Defuncta*. Sanctâ igitur memoria hæc recolamus, Ipsiusque virtutes imitemur, & tandem propriam nostram mortalitatem, totiusque hujus mundi vanitatem meditemur.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus, d. XIV. Febr.  
Anno MDCCXXXVI.









LBMV Schwerin 33  
000 195 545





arium intimum; Proaviam autem Nobilissimam omnibusque Je-  
tibus condecoratissimam DN. ANNAM STECHOVIAM.

avum in linea inferiori accepit Virum Prænobilissimum, Pru-  
ac Amplissimum DN. JACOBUM LEMBKEN, Senatorem  
um Rostochiensem Dexterrimum, Proaviamque fœminam virtu-  
taria Præcellentissimam ANNAM **HUBERMANNS**.

avus primus stemmatis materni in linea superiori Ipsi con-  
obilissimus ac Amplissimus DN. HERMANNUS SCHUCK-  
Civis ac Mercator Osnabrugensis primarius; Abaviaque Fœ-  
am virtutum ac in re familiari & domestica Cultissima DN.  
ÖRKEN.

avus primus lineæ inferioris Ipsi fuit Nobilissimus ac Specta-  
ALBERTUS STECHOVIUS, Civis heic Rostochii Prima-  
e Paulo-Petrinæ Præfectus redituum sincerissimus, ejusdemque  
a cluit Prænobilissima DN. AGNETA PEGELIA, ex illu-  
cademia nostra Meritissimorum Pegeliorum familia orta.

avus secundus stirpis maternæ extitit Vir Prænobiliss. Ampliss. ac  
DN. HERMANNUS LEMBKEN, Senator Rostochiensis ma-  
iaque Fœmina singulari comitate ac humanitate præ-  
LETHA BIERMANNIA.

e in eadem linea materna Ipsi fuit concessus Vir  
ssimus Excellentissimusque DN. JACOBUS LEMB-  
ssimæ Consul primarius, Ataviaque ex perantiqua ac  
ima Beseliniorum familia oriunda, Domina THA-

ur Majoribus de Ecclesia Reque publica optimè  
te, gloriari potuit Nostra placide Defuncta, cum-  
res haud fucatae pietatis semper exstiterunt cul-  
tudem atque famam meritò exinde reportarunt;  
harissimi unicam in id impenderunt curam, ut  
ne Sororum quartam, à teneris statim annis verâ  
t succrescente ætate in pura fidei ac morum do-  
at, eidemque ad virtutes quaslibet sectandas exem-  
uti nec minori allaborarunt sollicitudine, ut o-  
ad rei familiari aliquando rectè consulendum ido-  
ur, probè advesfieret, quæque eorum cura ac sol-  
uit frustranea, ut potius Beata Nostra Parentum  
conceptam omni ex parte impleverit. Postquam  
unà cum B. Suo Parente, qui à Serenissimo Duce  
IELMO, justitiæ ac Camerae Collegiis Gustavo-  
cilium mutare & Rostochium sese conferre cle-  
ivitatem hanc ingressa fuit, inque eâ etiam post  
no MDCCVII. non sine ingenti animi mœrore de-  
matre sua Svavissima permansit, viram virgini mo-  
ni modo convenientem inter nos degit, quâ de re,  
n universæ civitatis tutò provocare queamus,  
B. plurâ

